

171

169

175

165

180

160

220

120

270

070

Ende

Anfang

160

strumentorum mechanicorum et illae figurae significabant non litteram, sed mentem et intentionem, ut accipiter velocitatem, cocomillus malum, oculus custodiam. Sic enim hodie reperimus rusticos nec legendi nec scribendi scientiam habentes, suam tamen intentionem in pietos characteres redigere sciunt et tamquam in scriptura legunt et scribunt. Vidi unum in nostro ordine, conversum, qui nec legere nec scribere novit, omnes tamen sermones auditos imaginibus depinxit et ita legit ac si litteris signasset. Haec columna major est multo, quam illa, quae Romae retro Sancti Petri ecclesiam stat, de qua nonnulli dicunt, quod etiam olim hic steterit et hinc Romam delata sit. Haec columnna est adeo alta, quod videtur in mari existentibus et putatur a nescientibus esse turris murata.

Vidimus hic et in aliis locis, Caii praecipue, ingentes columnas unius lapidis, quas antiqui aut Colossos aut Obeliscos nominant, ut Plinius de Natur. Histor. Lib. 36. C. 9 et Diodorus de variis priscorum historiis. Illa autem nomina significant columnas et simulacula soli consecrata, de quibus mira recitant. Hoc tamen refertur, dum obeliscus ille esset erigendus, vererenturque artifices, ne machinae ponderi non sufficerent, quo majus periculum curae artificum denunciaret rex, filium suum alligavit cacumini, ut salus ejus apud molantes prodesset lapidi, major enim difficultas erat in erigendo, devehendo, statuendo, quam in excidendo. A Satyro enim architecto aliqui devectum tradunt rate a Phoenice, fossa perducta ad Nilum usque. Sed inimaginabile, in qualis modi ratibus aut navibus tam ingentes moles transduci poterant etiam per mare Romam. Moderni artifices hos stupendos obeliscosвидentes, quasi eorum motio, erectio, translatio, imaginationem transcendent, dicunt, eos opere fusorio fore factos, artemque ipsam modernos latere. Sed certo per tale opus eos factos in antiquissimis non invenio, nec Plinius nec Diodorus aliud credunt nisi ab excelsis montibus excisos aut a protensis rupibus, sicut excidit Semiramis petram. Supra fol. 50 A.

Circa illa imperialia loca creditur habita disputatio inter S. Catharinam et rhetores; et locus, in quo sancti martyres examinabantur. Non longe ab illo loco venimus ad unam vetustam ecclesiam, quae dicitur ad S. Catharinam, in quo loco dicunt stetisse domum Costi regis et ibi inhabitasse virginem Catharinam post

